Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26934
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tem sollicitudinis sue asciuit et archidiaconum ordinatum ce-
teris ecclesie archidiaconibus prefecit. Cenobium quoque sanctimonia-
lium apud sanctum Georium eius cure ac regimini commendauit anno
Incarnationis domini M. C. XX. II. quod et ipse ad spiritualis uite apicem reli-
gionis decenter reformauit. Sub huius patris magisterio cla-
ruerunt in monasterio nostro quedam monastice professionis lumina.
Rambertus prior postea monasterii sancti Petri abbas. indeque in episcopum Bri-
xinensem prouectus. et Rabanus post eum prioris functus officio.
Dietmarus qui postmodum abbas apud Ossiach claruit. patruus
se Eliberti senioris comitis de Puttene. Engilscalcus postea Bu-
rensis abbas et tres illustres secundum seculum quondam nobiles. sed secundum deum
prestantiores. Walricus de Asindorf qui prediis suis locum nostrum
non minimum locupletauit. item alius Walricus longus. Maganus
qui cum filio et uxore sua conuersionis habitum apud nos expetens
predia regalia nobis contulit. sed et Witalo quidam religiosus.
Horum denique et aliorum plurimorum spirituali feruore religio monastice
obseruantie in Admuntensi monasterio egregie florebat. Igitur pre- N. 91.
fato patre nostro W. post multos tandem monastice religionis
fructus feliciter ex hac luce kalendis Nouembris subtracto. anno In-
carnationis domini M. C. XXX. VII. regiminis uero sui anno XVIII. communi
fratrum electione. dominum Gotefridum priorem monasterii antefati sancti Georii
scilicet in abbatem elegerunt et per monachos nostros Walricum prefatum et Wi-
talonem per ipsos a congregatione directos per dominum Theodwinum sancte Ru-
fine Cardinalem episcopum. illum inpetrauerunt. Qui uidelicet dominus
Gotefridus prius in locum qui dicitur Wingart fuerat in abbatem
datus. sed quia uinee illius cultus erat infructuosus intuentu